

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CUM Apostolica Sedes omni tempore curas suas ad tuendam fidei integritatem, morumque disciplinam studiosissime adhibuit, tum etiam in eo semper advigilavit, ut ampla domicilia doctrinis, bonisque artibus excolendis catholicæ juventuti paterent, in quibus recta mentis, atque animi institutio, ad privatam, ac publicam societatis humanæ utilitatem posset hauriri, eademque cum opus esse censuit nunquam prætermisit, quin eorum domiciliorum dignitati, stabilitati, et prosperitati adserendæ, suæ auctoritatis, et opis præsidia, conferret.

Has ob causas gratissimum fuit Nobis intelligere, jam inde ab anno Christi MDCOCXLVIII Ottawæ præclara in urbe Canadensis regionis, Collegium juventuti catholicæ instituendæ conditum fuisse a Josepho Eugenio Guigues illustris memorie Presbitero Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ, qui primus Ottawæ Episcopus datus est, idemque Collegium ampliora in dies incrementa feliciter suscepisse, tum Collegii ædificio novis operibus amplificato, tum bibliotheca instituta, et museis, omnique instrumento ad omnigenam eruditionem comparatis, tum concursu, et frequentia alumnorum quos laus, et fama institutionis e longinquis etiam locis excivit, adeo ut Collegium ipsum decreto edito a supremo Canadensis regionis Consilio legifero anno MDCCCLXVI dignum judicatum fuerit, ut justum, ac legitimum Universitatis civilis studiorum nomen acciperet, omnibusque donaretur juribus quibus ceteræ Universitates potestatis civilis auctoritate fruuntur.

Cum hæc Collegio Ottawiensi fauste, et feliciter evenissent, huic Apostolicæ Sedi anno MDCCCLXXXVIII preces oblatæ sunt Præpositi Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ, ac doctorum decurialium Collegii, necnon litteræ Archiepiscopi Ottawiensis impense postulantum, ut idem Ottawiense Collegium, tot nominibus commendatum, dignitate, et juribus Catholicæ Universitatis, ex more, institutoque Apostolicæ Sedis augeretur. Hujusmodi preces Nos libenter excipiendas censuimus. Novimus enim quantas opportunitates habeat Lyceum magnum optimorum studiorum in Urbe nobilissima Ottawa, Archiepiscopal Cathe drae honore aucta, et civilis regiminis sede, constitutum, quæ natura loci media inter alias Canadensis regionis Urbe assurgens, omnibus commenantibus facile pervia est, ac ex presentia insuper lectissimorum virorum, qui in supremis civilis potestatis consiliis sedent, quique rerum publicarum administrationem gerunt, splendidam capit accessionem dignitatis. Novimus etiam quo studio dilecti filii sodales Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ ab Anno MDCCXLVIII rectæ institutioni juventutis operam dederint, curis pariter, ac opibus suis in hoc salutare opus, ejusque tuitionem ultro collatis, et quantopere semper cordi fuerit ejusdem Congregationis Præpositis apud suos, obsequium erga Apostolicam Sedem, et